

multifaria: ob eam causam, vt assignet, quā debeat omnis terra Deo dare gloriam, versutatio sub iungit: *Dicite Deo, Quā tremenda sunt opera tua.* Ergo exigit eam gloriam, quæ Deo propter illius omnipotentiam vniuersæ carni tremendam & formidabilem detur: quod nihil est aliud, quām exigeret, vt Deum metuat omnis terra. Imò mentibus populi Dei istam diuinæ potentiae omni terræ tremendæ gloriam inculcare, vt hoc sibi minus ab aduersarijs, & Mundo vniuerso metuant, quō penitus cognoverint, quām sit potentia Dei, tot tremēdis operibus declarata, vniuersis mortali- bus formidanda. Hoc pacto mihi videtur p̄fissimus rex prima Psalmi parte omnem metum populo suo excutere, per id quod iubet omnē terram Deo dicere: *Quā tremenda sunt opera tua.* Quidam persuasum vult Israēlis, tam esse tremenda in vniuersa terra opera Dei, vt illorum gratia totus Mū- dus cogatur stupere, tremere, & potentiam illius admirari. Admirationem quippe habet, quod iubet Deo dicere. Non solum tremenda sunt opera tua: sed, *Quā tremenda sunt opera tua.* Perinde atq; si quis Cæsaris potentiam Cæsaris subditis inculcatur, & hostium metum exempturus, dicat: *Laudet gloriam Cæsaris non Hispania solum, & Germania, sed vniuersa quoque Aphrica & Asia: dicantq; Cæsari, Quā tremenda sunt opera tua?* Quæ autem sint illa opera Dei tremenda, quorum gratia potentiam Dei admirari & formidare iubet omnem terram, parte secunda commemorabit. Intel- ligit enim ea quæ populum suum redimendo & liberando patravit.

Illud, *Præ multitudine virtutis tue, sententur tibi inimici tui:* exponit Kimhi ad hunc modum **A** לְאַחֲרֵנָא יְהוָה: id est, dicentes, *Non adfiximus Israēlem.* Exponit enim Psalmum de fine captiuitatis Iudaicæ, & potentia Messiah, quem expectant venturum, & liberatum Israēlem, cuius tanta sit futura potentia, vt ij qui nunc Israēlein adfligunt, tum sint præ metu illius negatori, se vñquam ad- fixisse Israēlem. Ita solent isti nugari. Verūm mentiri inimicos Deo, nihil est aliud, quām simpliciter & seruiliter illi, vt solent victi vīctoribus, non ex animi sententia, sed metu perditionis subijci. Vnde & non dicit, *Præ multitudine bonitatis tue diligenter, qui nunc sunt inimici tui:* sed *Præ multitudine virtutis tue sententur tibi Dei.* hac loquitione vide supra Psalmi 18 versu 44 Tale quid fecerunt Gibaoni- tæ, Iosue 9 Item Philistij reddentes arcain, 1. Sam 6. Item Pharao in Ægypto.

Vocat quidem Propheta inimicos Dei gentes eas, quæ cum Israele circumquaq; bella gererat, odio nominis Dei instigati, quas prædictit præ multitudine virtutis Dei centra animi sententiam sese illius potentiae subiecturos: quod factum est, quando tributarij facti sunt. Verūm illud mentiri Deo & hodie quoque, idq; inter eos qui Christiani censentur, locum habet. Quid enim aliud faciunt, qui Deo non ex vera dilectione tanquam salvatori suo, sed ex metu potentiae illius, velut tyranno, ne perdant, seruunt, imò seruire se simulant? Hi mox atque metus aliquis siue mortis, siue gehennæ, siue alicuius calamitatis corripuit, ad preces, ad eleemosynas, ad ieunia ad sacra conuo- lant: nihil aliud ambientes, quām ne perdantur, simulantes singularem aliquam numinis reveren- **B** tiam & officiositatem: cùm nihil huius vñquam facerent, nisi metus virtutis Dei cogeret. At hoc non datur populo Dei, sed inimicis, gentibus incredulis. Populi Dei est animo sincero poten- tiam Dei diligere, gloriam illius vbiique promotam desiderare, & illius in omnibus bonitate niti, fide erga illum esse & obedientia non ficta, sed vera: colere ac reuereri vt patrem, non mentiri vt tyranno. Tyranni vox est: Oderint, dummodo metuant. Dei verò: Audi Israël, dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. Sed dicas: Atqui Christus ipse Matthæi 10. iubet Deum me. tuere, eò quod in gehennam coniçere potest. Respondeo: Non hoc agit, sed ne homines plus ti- meamus quām Deum.

**Deut. 6.** **Nemo diligit quē metuit.** **Vers. 4.** *Omnis terra adoret te, &c.]* Hunc versum aliqui in futuro legunt, per modum prophetiæ de regno Christi: ideoque Selah adiecitum esse volunt, tanquam notam singularis alicuius considerationis. Quanquam verum est, quod in regno Christi, ad cultum Dei ducta sit omnis terra: mihi tamen magis placet, vt per modum invitationis ista cum Psalmi initio legantur, eò quod hoc Psalmus non de singulari illa cognitione diuinæ bonitatis, quæ per Christum Mundo innotuit, agitur, sed de o- mni potentia illius, toti Mundo tremenda. Attamen nolo cum quoquam contendere, sed simpli- citer dico quid mihi videatur, absq; vilius præjudicio.

#### ALTEA PAR.

Versibus octo, quibus Psalmi huius pars altera continetur: 1. primum ad operum Dei consi- derationem inuitat: vers. 5. 2. Deinde quædam ex illis exempli vice commemorat, asserens & prædicans Deum esse seculi Dominum: vers. 6. & 7. 3. Tertio hortatur ad benedicendum Deo, & ad hoc formulam aliquam conceptis verbis præscribit: vers. 8. 9. 10. 11. & 12.

**Vers. 5.** *Venite, & videte opera Dei.]* 1. Verbū veniendi, conuocandi vim habet, & indicat, ad considerationem operum Dei conuocandos esse populos. Conuocandos non quidem in eundem locum, quod nec opus est, nec fieri potest, sed in fidei & pietatis conspirationem cum populo Dei. *Venite,* inquit, *& videte opera Dei.* Non dicit simpliciter, *Ite & videte opera Dei:* sed, *Venite:* id est, coniungimini populo Dei, & nobiscum expendite, quid fecerit Dominus populo suo. Quod si ad Israëlitas tan- tum loquitur, usurpat *veniendi* verbum pro conuocanda & cōgreganda Ecclesia Dei, ad hoc vt con- siderentur opera Dei. Ad quid etiam aliud instituti sunt Ecclesiastici conuentus, quām ad conside- rationem operum Dei, ex quibus alatur & corroboretur fides & cognitio Dei? In illis namq; ope- ra Dei mentis oculis contemplanda proponuntur, dum cum fidelium congratulatione commes- morantur, prædicantur & celebrantur. Et hoc est quod dicit: *Videte opera Dei.*

*Quām tremenda sit in consilio.]* 2. Addit, quid cupiat considerari in operibus Dei, quæ hic vocat *con- filia super filios hominum*, vt indicet se conuocare non ad quævis opera Dei expēdenda, sed ad ea, qui- bus singulari studio & consilio potentiam suam super filijs hominum declarat. *Quām tremenda sit, in- quid.*